



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ**

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621**

Cap. XVI. Possitne de potentia absoluta videri Deus sine lumine gloriæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

fatis incertus, quia ratio illa, quæ maiorem videtur præ se ferre congruentiam, scilicet, vt virtus actiua habeat potentiam receptiuam proportionatam, non videtur convincere. Quia efficiencia luminis, & intellectus non est ita diuidenda, vt intelligatur lumen agere in se ipsum solum, & similiter intellectus in se, quia si visio immediate recipitur in intellectu, & illum afficit, necesse est, vt etiam lumen efficiat illam receptionem, & vnione visionis cum intellectu, seu educationem eius de potentia obedientiali intellectu, quia efficiencia visionis vnica est, & indiuisibilis, quæ tota est ab intellectu, & tota à lumine, quamuis non totaliter, ergo etiam totus effectus, & tota vnio est à lumine, ergo non potest vitari, quin lumen agat in intellectu, secundum potentiam obedientialem eius. Quin potius è conuerso si lumen est receptiuum visionis, necesse erit, vt intellectus agat in se ipsum propter rationem factam proportionaliter applicatam: hoc a. quamuis non possit probari impossibile, tamen est difficile, & non apparet necessarium. Et aliunde etiam difficile est, quod eadem forma æque primo educatur ex duabus potentijs receptiuis, eisque vniantur. Et ideo dicendum videtur, illud lumen non habere rationem potentia receptiuam, sed tantum principij actiui visionis, quia reuera intellectus per se sufficienter est capax actus supernaturalis, quamuis non sit per se ita sufficiens ad efficiendum illum.

28. Vltimo vero est aduertendum circa doctrinam huius, & præcedentis capituli: in ea supponi, diuinam visionem non comparari ab intellectu creato sine reali, interna, & supernaturali mutatione eius, quia nisi talis mutatio in ipso fieret, non esset necessarium lumen gloriæ, neque vt dispositio, neque vt principium. Illud autem principium & ex dictis in capite 9. & sequentibus satis constat, & per se euidentis est. Cum enim ante illam visionem Deus ita comparatur ad intellectum creatum, vt ab ipso non videatur, & postea incipiat videri, & hoc non possit contingere per mutationem Dei, necesse est, vt fiat per mutationem creaturæ, & intellectus eius. Quæ mutatio, cum sit vitalis, debet esse ab intrinseco, & cum sit supernaturalis debet esse à principio supernaturali, non solum vniente obiectum, sed eleuante potentiam, & hæc est necessitas propria luminis gloriæ.

29. Solet tamen referri in contrarium Durand. & ita intelligi opinio eius 4. d. 49. q. 2. n. 2. vbi sentire videtur, illam visionem fieri sine vlla mutatione per se creati intellectus, per solam ablationem impedimentorum, quia sufficit quod diuina essentia præsentetur intellectui creato, ablati impedimentis, id est, phantasmatibus, & omnibus medijs creatis, per quæ fiat cognitio. Quia vbicumque natura, & virtus potentia extenditur ad obiectum, præsentato obiecto per se, & immediato, & seclusis impedimentis, necessario sequitur visio. Noster autem intellectus natura sua respicit Deum vt obiectum suum, & licet naturaliter non possit illum attingere nisi per mediū creati, Deus potest immutare huc ordinē, & auferre hoc impedimentū, & se immediatū, intellectui præstare.

30. Sed in hoc discursu nunquam Durandus dicit, hæc præsentationem Dei in ratione obiecti visi fieri sine mutatione reali intellectu: valde autem obscure & defectuose procedit, non explicando quid sit, Deum præsentari intellectui. Nam si loquatur de præsentatione in actu primo, hæc vel noua non est, vel intelligi non potest sine specie, vel lumine, vel alia simili qualitate, quam ipse omnino negat. Probatur assumptum, quia, seclusa hac mutatione, ex parte intellectus, nihil est cur Deus præsentetur intellectui, nunc magis, quam antea: nam semper fuit intime in intellectu per realem præsentiam suæ essentia, & ex hac sola non necessario sequitur visio clara, etiamsi ab intellectu auferatur

Suarez: de Deo trinuno.

omnis cognitio Dei per medium. Nam ex hac negatione, quam ille vocat ablationem impedimenti, non sequitur positua visio per solam præsentiam per essentiam. Et si contrarium sensit, valde errauit: vt satis ex dictis constat. Si autem loquatur de præsentia in actu secundo, hæc non fit sine infusione visionis supernaturalis. Vnde ad summum sentire potuit hanc infundere Deum, sine cooperatione intellectus, & ideo non esse necessarium lumen, nec speciem. Nunquam ergo dicit intellectum posse videre sine noua mutatione in eo facta, nec posse naturaliter efficere visionem, sed natura sua esse aptum ad recipiendam illam, & ex hac parte non requirere præuiam mutationem posituam, sed solam ablationem impedimentorum; Deum autem per se posse facere se præsentem, quia hoc non implicat (ait) & Deus potest naturalem modum agendi mutare. Sentit ergo fieri per actionem solius Dei, & ita non differt eius opinio ab aliorum sententia, qui dicunt visionem non fieri ab intellectu. Quod tamen ipse non probat; nec probabile profecto est. Argumenta autem, quæ Durandus adducit, vt probet, non dari lumen gloriæ per modum principij, & actus primi, nullius momenti sunt, eisque in discursu huius cap. obiter, ac sufficienter satis factum est.

CAPVT XVI.

An de absoluta potentia possit videri Deus sine lumine gloriæ.

Hæc quæstio breuiter hoc loco tractanda, ne Had defendendam sanioem doctrinam præcedenti cap. declaratam, putetur necessaria opinio eorum, qui dixerunt, esse adeo necessarium lumen gloriæ, vt etiam de potentia absoluta non possit intellectus eleuari ad videndum Deum sine tali lumine. Quod docuit Caieta. 1. p. q. 12. art. 5. Ferrar. 3. contra Gentes, cap. 54. Sor. dicta q. 2. art. 4. Fundamentum eorum fuisse videtur, quia non potest aliquis videre Deum, nisi ipse efficiat visionem beatam, non potest autem efficere ipse, nisi recipiat principium agendi, quod est lumen gloriæ: vel quamuis demus sine illo posse aliquo modo efficere, ad summum illud esse instrumentaliter: ille autem modus agendi non satis est ad actum vitalem, de cuius ratione est, vt procedat à principio formali intrinseco, & proportionato.

Sed hoc fundamentum ex hæcenus tractatis constat esse inefficax, quia ostensum est, etiam nunc de facto lumen gloriæ non esse totale principium efficiendi visionem beatam. Item constat, visionem illam non habere, quod sit actus vitalis ex concursu luminis, sed ex influxu ipsius animæ, & intellectus. Denique etiam est ostensum, hunc influxum, prout est ab intellectu, etiam nunc de facto esse supra vires naturales eius, atque adeo esse ab illo, vt à vitali instrumento eleuato diuina virtute, ac modo illo accommodato, idque satis esse ad rationem actus vitalis.

Secunda ergo sententia distinguit de lumine gloriæ, vel per modum habitus permanentis, vel per modum dispositionis transeuntis, dicitque, ad efficiendam visionem omnino necessariam esse aliquam qualitatem, quæ sit per modum actus primi distincti à visione, & secundum potentiam ordinariam illam qualitatem debere esse lumen gloriæ permanens per modum habitus: de potentia vero absoluta sufficere, vel permanentem, vel transeuntem qualitatem, alterutram vero istarum necessariam esse. Hæc videtur esse opinio Capreol. 4. d. 49. q. 4. ad 3. & 4. contra secundam conclusionem, & citat D. Tho. 22. q. 175. art. 7. ad 2. & qu. 2. de verit. art. 2. & q. 13. ar. 2.

ST. AUGUSTINE  
IN  
LUMEN  
D. V.

4. *Impugnatio*  
Sed hæc sententia vel coincidit cum præcedenti, vel est improbabilior illa. Nam illa distinctio qualitatis permanentis, vel transeuntis, sicut datur de lumine, ita potest dari de visione, nam etiam hæc potest esse permanentis, vt est in Beatis, & transiens, vt multi censent fuisse in Diuo Paulo. Si ergo sit sermo de visione permanente, qualis est beatifica, non potest ad illam requiri lumen, quin illud debeat esse permanentis, quia idem lumen requiritur ad conseruandam & efficiendam visionem. Si autem sit sermo de visione transeunte, ad illam sufficit lumen etiam transiens. nec potest requiri lumen permanentis, etiam de potentia ordinaria. Rursus sicut visio durans multum, vel parum, non differt specie, ita etiam illa duo lumina non possunt specie distingui, si consequenter loquamur. Quia in hoc præcise distinguuntur, quod alterum permanentem, alterum transeuntem datur, nam in alijs omnibus contentiunt, nimirum in obiecto, & in actu, & in modo attingendi Deum, illa vero differentia non magis est intrinseca, & essentialis in lumine, quam in visione, & ratio vtriusque est, quia non oritur ex intrinseca natura talis luminis, nam illud, quod ad breue tempus datur, solum per voluntatem extrinseci agentis hoc habet, nam sicut durat per diem, possit durare per totam æternitatem, quia de se incorruptibile est, non enim habet contrarium, nec causam aliquam, per cuius actionem expelli possit, nec etiam habet causam in se mutabilem, sed tantum libere agentem, quam etiam habet lumen permanentis: est ergo illa differentia accidentaliter in lumine, sicut in visione ipsa. Ergo necesse est, vt hæc opinio coincidat cum priori, nam iuxta illam ad visionem requiritur de potentia absoluta lumen tantum durans, quantum durat visio, & non amplius, vnde non potest habere aliud fundamentum.

5. *Vera opinio*  
Quapropter mihi probabilius est, lumen gloriae non esse necessarium de potentia absoluta ad videndum Deum. Hanc sententiam tenet Paludanus 4. d. 49. quæstion. 1. artic. 3. Argent. quæstion. 1. Maior quæstion. 4. & moderni Thomistæ, nec Diuus Thomas aliud vnquam significauit, sed locutus est de potentia ordinaria, seu secundum connaturalem modum agendi. Probaturque primo ex dictis, quia contraria sententia non habet fundamentum, quo vel probabiliter ostendat implicationem contradictionis. Secundo, quia ostendi, lumen solum requiri, vt suppleat efficienciam, quæ deest intellectui, sed hanc efficienciam potest Deus per se ipsum supplere, quia non est illa, quæ præcise requiritur ad actum vitæ, & effectiorem quasi formalem eius, nam hæc est illa, quæ est per intrinsecum conatum, & attentionem intellectus, quæ semper manebit siue Deus per se ipsum siue per lumen suppleat efficienciam, quæ deest intellectui. Ex qua ratione colligitur, necessarium esse vel lumen, vel maius quoddam auxilium Dei, quod suppleat efficienciam luminis. Quod etiam docent Scot. loco citato, imo Durand. cui solet contrarium sine causa tribui.

6. Tertio, id probari potest, quia de facto actus fidei, & charitatis interdum fit ex speciali auxilio sine efficiencia habitus, quod auxilium non est qualitas distincta ab ipso actu, sed est ipsamet actio specialiori modo à Deo procedens. Assumptum patet in actibus, quibus disponimur ad habitus recipiendos, iuxta sententiam, quam nos sequimur, & probabiliorum reputamus. Vnde Scotus supra non potuit aliter soluere hoc argumentum, nisi negando actum fidei, & charitatis esse supernaturalem, quoad substantiam, quod de visione affirmat, sed illud etiam est plane falsum, nec fere est maior ratio de charitate, quam de visione.

7. *Obiectio*  
Dices. Si in via interdum sunt hi actus sine concursu habituum, cur etiam quando primo infunditur lumen, non ita fiet visio in Patria? Respondetur, quia

in via proceditur ab imperfecto ad perfectum, & ideo homo, qui caret habitibus, est capax dispositionis ideoque præparari debet, & disponi, vt obtineat habitus: non potest autem disponi per actum procedentem ab ipso habitu: quia talis dispositio omnino supponitur, & ratione illius infunditur habitus. At vero in Patria, homo supponitur dispositus per gratiam, & merita, & à principio efficit illam visionem conaturali, & perfecto modo, neque ad lumen recipiendum disponitur per visionem ipsam. Ex quo potest obiter sumi argumentum contra eos, qui dicunt primum actum, qui est dispositio ad habitum, procedere ab illo effectiue, sic enim dicere possent, vel etiam deberent, visionem esse dispositionem ad lumen, licet ab illo procedat.

CAPVT XVII.

An visio Dei sit connaturalis intellectui luminis gloriae informato.

Quoniam ratio ponendi lumen gloriae præcipue sumpta videtur ex connaturalitate actionis, & modi operandi, ideo principium hoc amplius declarare necesse est, simulque aliam proprietatem illius visionis exponemus. Duobus enim modis dici potest actio naturalis. Vno modo quatenus naturalis actio distinguitur à supernaturali: altero modo quatenus distinguitur à libera, & idem est, quod necessaria actio, & de vtroque sensu dicendum est breuiter.

2. *Causa opinio*  
Circa priorem partem Thomistæ dissentunt inter se, Caiet. 1. p. q. 12. art. 5. dicit intellectui illuminato non esse supernaturale, sed naturale videre Deum, atque idem fere docet Ferrar. 3. contra gentes, cap. 54. Addit vero limitationem, nimirum, esse naturale intellectui non simpliciter, sed quatenus informato lumine, sicut aqua simpliciter non est naturale calefacere, tamen aqua calida, vt informatæ calore, naturale est calefacere. Et ratio est, quia intellectus vt illuminatus iam habet principium connaturale illius actionis: nam lumen est principium connaturale visionis beatificæ. Confirmatur, nam præcipua ratio ponendi lumen est, vt actus sit connaturalis operanti.

3. *Vera opinio*  
Nihilominus Scot. in 4. d. 49. quæst. 2. artic. 4. negat, visionem esse dicendam naturalem etiam respectu Beati habentis lumen gloriae, quia illa visio in se, & absolute est supernaturalis. Scot. etiam, & Durand. citati cap. 15. inconueniens reputant, quod illa visio sit naturalis intellectui, qualibet in eo supposita perfectione per modum actus primi, ipsi enim ex hoc principio impugnant lumen gloriae, quia non potest intellectus cum lumine habere magis connaturalem ordinem ad visionem, quam secundum se. Sed licet in hoc faueant huic sententiæ, in alio fauent priori, in eo scilicet, quod posito lumine existimant sequi actum debere esse naturalem, licet hoc reputent inconueniens.

4. Veruntamen resolutio facilis est ex his, quæ diximus, & ideo breuiter responderetur, aliud esse loqui de illa visione absolute, & secundum se, aliud respectiue seu comparative. Priori modo constat ex dictis visionem illam esse absolute supernaturalem actum, siue fiat per lumen, siue non, quia est talis ex vi suæ substantiæ, & naturæ, quam semper obrinet eandem. Item quia semper est talis, vt nulli substantiæ creatæ possit esse connaturalis, & hoc est esse simpliciter, & absolute supernaturalem. Posteriori a. modo potest illa visio comparari vel ad lumen, vel ad intellectum, vel ad totum compositum, sc. intellectum informatum lumine, vel simpliciter ad hominem, vel Angelum. Respectu luminis connaturalis est visio, vt patet ex dictis, & hoc probant fundamenta primæ sententiæ. Respectu vero intellectus semper est visio